



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

146. An ad lucrandas Indulgentias Bullæ teneatur quis confiteri, si non habet mortalia, sed tantum venialia peccata? Et docetur, quod Ecclesia non consuevit præcipere confessionem nisi de mortalibus. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Resol. part. 1. tract. 4. c. 7. quæst. 57. Floron. tract. de casu... Solerus de pofest. Confess. tract. de Bulla, §. 14. quod sub nomine Fratrum in Bulla intelliguntur etiam Nouitij, & Moniales.

3. Notandum est verò cum Nugno in 3. part. tom. 2. tract. de Bulla, §. 14. quod sub nomine Fratrum in Bulla intelliguntur etiam Nouitij, & Moniales.

Sup. hoc A Ref. non præterit vlt. ad medium, verò Nouitios

RESOL. CXLV.

An sub nomine Mendicantium in Bulla Cruciatæ includantur etiam alij Religiosi, qui Mendicantes non sunt, sed ex beneficio Sedis Apostolicæ eorum fruantur priuilegiis? Et an sub nomine Mendicantium intelligantur non solum Religiosi professi, sed etiam Nouitij? Ex p. 1. tract. 1. Ref. 89.

§. 1. Aliqui negatiuè respondent ex autoritate Patris Henriquez in sum. lib. 7. c. 22. n. 4. in Gloss. lit. T. & Ioan. Valer in differ. vtriusque fori, verb. absolut. n. 35. vbi afferunt exceptionem Bullæ Cruciatæ circa priuilegia Ordinum Mendicantium non professe alijs Religionibus non Mendicantibus, nec ea gaudere posse, etiam per communicationem priuilegiorum. Et ita tenet Rodriguez in Bull. §. 12. in addit. dub. 1.

2. Vnde ex hac opinione sequeretur, quòd Prælatus istarum Religionum non Mendicantium non possit absolueri quemcunque subditum Religiosum a quibuscunque casibus Sedi Apostolicæ reseruatis; & vti similibus priuilegijs: sequeretur etiam ex ista opinione, non manere in suo robore quoad istos Religiosos non Mendicantes priuilegium illud, quod non possunt eligere Confessores virtute Bullæ Cruciatæ, vt absolutio- nem à reseruatis obtineant.

3. Sed his non obstantibus, contrarium docet Acofta in Bull. Cruc. q. 105. in fin. & Villalobos in sum. tom. 1. tract. 2. 7. claus. 12. num. 11. vbi sic ait: [Las Ordenes no Mendicantes, parece que no gozan deste priuilegio, por la comunicacion, que tienen de los priuilegios, porque la Bula suspende los de todos los Monasterios, y así de otra manera parece, que sería frustratoria la clausula. Mas à mí paraceme probable lo contrario, que à las, que tienen comunicacion de los priuilegios, no veo por donde los ayamos de quitar este. Y no obsta el dezir, que sería frustratoria la clausula, porque se entiende en caso, que no tengan priuilegios.] Hac ille. Vbi etiam, sub nomine Mendicantium intelligit non solum Religiosos professos, sed etiam Nouitios, si habeant animum perseuerandi in Religione. Et ideo stante hac opinione, omnes Superiores Mendicantes, & non Mendicantes, non obstante Bulla Cruciatæ, vigore eius clausulæ licitè frui possunt omnibus facultatibus, & priuilegijs à Sede Apostolica obtentis, etiam per communicationem in ordine ad suos Fratres, vt potestas dispensandi in aliquibus votis, in ieiunijs, in cibis prohibitis, & in alijs multis, quæ videti possunt in compendijs eorum priuilegiorum.

Sup. his Nouitios in Ref. præter. currem in §. vlt.

RESOL. CXLIII.

An quando commissarius dispensat in impedimento opus est, vt qui ignorauit impedimentum, certior de illo efficiatur? Sed diffinitus est, vtrum ad matrimonium inualidum ob impedimentum occultum ratificandum, cessante impedimento, oporteat alterum coniugem certiorum facere de nullitate prioris matrimonij? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 119.

Respondet, quòd magna difficultas est, vtrum ad matrimonium inualidum ob impedimentum occultum ratificandum, cessante impedimento, oporteat alterum coniugem certiorum facere de nullitate prioris matrimonij.

1. Prima opinio negat. Ita Caiet. Opusc. tom. 1. tr. 12. de matrim. q. 2. Sor. in 4. diff. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. cas. 1. Vercac. in spec. p. 1. art. 44. concl. 3. Graffius decis. p. 1. lib. 2. c. 20. n. 15.

2. Secunda verò sententia affirmat: ita Villalob. in sum. tom. 1. tract. 14. dub. 3. n. 6. Nauarr. in Man. cap. 22. n. 47. Philarchus de off. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 13. Ciacchius in sum. maior. lib. 5. tit. 12. n. 82. & alij.

3. Sed quidquid sit de hoc, certum est, in casu nostro non valere dispensationem, vt patet ex verbis Bullæ, si coniux ignarus non efficiatur saltem in genere certior de impedimento. Et ita docet Rodriguez in Bull. §. 15. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 7. disp. 3. num. 23. & Villalob. in sum. tom. 1. tr. 27. claus. 13. n. 18.

RESOL. CXLIV.

An Bulla Cruciatæ suspendat Indulgentias Regularium? Et an sub illis verbis Bullæ, exceptis tamen quod eorum fratres tantum, sub nomine fratrum in Bulla intelligantur etiam Nouitij, & Moniales? Ex p. 1. tract. 11. Ref. 88.

Affirmatiuam sententiam docuit Acofta in expos. Bull. quæst. 108. vbi docet per publicatorem Bullæ Cruciatæ suspendi omnes Indulgentias Mendicantium non solum respectu sæcularium, sed etiam respectu ipsorum Fratrum: quia, licet in clausula reuocatoria Bullæ excipiantur facultates Mendicantium, certum est, quòd sub nomine facultatum, non intelliguntur Indulgentiæ, vt patet ex cap. Extr. Sacer. IV. de pen. & remiss.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse iudicat, quam præter Rodriq. tuetur nouissimè Nugnus, vbi in sum. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 27. claus. 12. n. 9. Et ad argumentum Acoftæ responderetur, quòd illa verba Bullæ Exceptis tamen concessis Ordinibus Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres, tantum extendenda sunt ad omnia superius posita, sine limitatione ad facultates tantum, vt putat Acofta.

Tom. IV.

RESOL. CXLVI.

An ad lucrandas Indulgentias Bullæ teneatur quis confiteri, si non habet mortalia sed tantum venialia peccata? Et docetur, quod Ecclesia non consueuit præcipere confessionem nisi de mortalibus. Ex part. 1. tractat. 11. Ref. 107.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Acofta in Bul. q. 14. dub. 2. quia putat Bullam exigere Confessionem, tanquam iniunctum opus.

2. Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo: quia, quando in Bulla exprimitur confessio, sermo est de Confessione illius, qui confitens

L 3

conscientiam habet peccati mortalis, nisi aliud exprimat: * Ecclesia enim non confuevit precipere Confessionem, nisi de mortalibus; & Confessio absolute accepta non sumitur nisi pro Confessione illorum: & ita hanc opinionem tenet Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 52. sect. 3. Zancardus in direct. Theol. p. 1. de Sacram. Parn. c. 21. q. 24. Lorichius in thes. Theol. ver. sub. n. 21. Comitulus in refer. mor. lib. 1. q. 39. Regim. tom. 1. lib. 7. c. ult. n. 173. Bellarmin. de Indulg. lib. 1. c. 13. q. 3. Graffius par. 1. lib. 4. c. 15. n. 19. Coninch de Sacram. tom. 2. disp. 12. dub. 7. n. 38. Filliuc. tom. 1. tr. 8. c. 6. q. 8. n. 145. Henric. lib. 7. c. 12. n. 2. Bonacina de Sacram. disp. 6. q. 1. punct. 5. num. 7. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 26. num. 79. & alij penes ipsos quidquid in contrarium ex neotericis asserat contra Suarez, Didacus Nugnus in addit. ad 1. p. tom. 2. q. 27. art. 3. dub. 2. Sanchez de mar. tom. 3. lib. 8. disp. 15. n. 19. Floronus de cast. referuat. part. 1. cap. 6. §. 6. n. 3. qui etiam nostram sententiam probabilem vocant, & alij.

3. Illud verò, quod dicit Acosta, Bullam exigere Confessionem, tanquam opus iniunctum, negatur: quia hoc esset, si diceretur in Bulla: *Premissa, aut facta Confessione*, vel quid simile. Imo Coninch, *vbi supra*, de Sacram. disp. 12. dub. 7. numero 38. & Leone tract. de Iubil. p. 1. quest. 1. n. 76. tenet nostram sententiam, etiam si in Bulla apponantur hæc verba: *Premissa Confessione communicauerit*, quia adhuc intelligi debent de mortalibus.

RESOL. CXLVII.

An pro lucranda Indulgentia supradicta sufficiat suscipientem Bullam confessionem fuisse in quadragesima preterita, & habere propositum confitendi in Quadragesima futura? Ex p. 1. tract. 11. Ref. 105.

Sup. hoc inf. in tr. 4. Ref. 48. §. Nota & hoc sup. in Ref. 2. ex §. 1. lege de str. a Veri. Difficultas & eq.

§. 1. Negatiue respondet Acosta in Bull. q. 14. quia in proprietate verborum, quæ in Indulgentiis strictè seruanda est, non dicuntur verè confessi, qui propositum confitendi habent, neque qui post præteritam Confessionem peccata mortalia commiserunt.

2. Hæc opinio est probabilis: sed contrariam non minus probabilem existimo: & ita, quando Indulgentia conceditur omnibus verè penitentibus & confessis, sacræque Eucharistia relictis, vt sub hac forma conceditur in nostra Cruciatâ, putatis esse suscipientem Bullam confessionem fuisse in Quadragesima præterita, & habere propositum confitendi in Quadragesima futura: quoniam talis dicitur confessus secundum ius.

3. Et ideo docet nouissimè hanc sententiam Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 6. q. 8. n. 148. vbi ait: [Quando in forma Indulgentiæ dicitur: *Verè penitentibus & confessis*. Etsi probabilis sit, & tutior opinio requirens actualem Confessionem attamen probabilior est, tutaque contraria, quòd, scilicet, satis sit vera contritio cum Confessione in voto; re ipsa autem tunc tantum quando contritio illa non reputatur vera. Sed indulgentia Bullæ Cruciatæ, vt supra diximus, conceditur sub hac forma. Ergo, &c.

4. Et ita præter Filliucium docet hanc sententiam Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 52. sect. 3. numero 12. Toletus lib. 6. c. 27. num. 2. Gabriel in 4. dist. 45. q. 2. num. 12. Paludanus in 4. dist. 2. q. 4. art. 3. concl. 1. Rosella verb. Indulg. n. 12. Tabiena eod. verb. n. 8. Armilla eod. verb. n. 8. Angelus eod. verb. n. 17. & Comitulus in refer. mor. lib. 1. quest. 30. & alij: quidquid in contrarium asserat Coninch de Sacram. disp. 12. dub. 7. n. 38. & Bellarminus de Indulg. lib. 1. cap. 13. quest. 3. Sæ verb. Indulg. mon. 3. Sotus in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. Benzoni de Iubil. lib. 5. c. 15. dub. 4. Reginald. tom. 1. lib. 7. c. ult. q. 1. n. 171. & alij.

RESOL. CXLVIII.

An Oratio facienda in Ecclesiis, vel altaribus pro lucranda Indulgentia Bullæ Cruciatæ sufficiat, vt sit mentalis?

Ex quo inferitur, an etiam sufficiat Oratio mentalis ad persoluendam penitentiam à Confessario impostam, Officium Diuinum, & Missam dicendam? Ex p. 1. art. 1. Ref. 44.

§. 1. Negatiue respondet Rodriguez in Bulla Cruciatæ, §. 7. numero 2. vbi sic ait: [Dudum si hæc oratio mentalis, etiam si sit mentalis, non est oratio mentalis, sed oratio externa, & visibilis, vt supra diximus, quia hæc oratio mentalis non est de mucha efficacia, & impropria portancia, sino porque la oracion que aqui se manda es como obra satisfactoria, mandada por el Papa Principe de la Iglesia, el qual en su nombre quando manda hazer las dichas obras satisfactorias, entiendo de las exteriores, y visibiles, y no de las mentales, que son invisibiles: y assi dize communmente en la materia de la satisfacion, que no basta la oracion mental para cumplir la penitencia que impone el Confessor, quando manda rezar algunas oraciones, por lo qual quando la Iglesia nos obliga a rezar el Oficio diuino, y decir Missa, no se contenta conque recitamos, y digamos la Missa mentalmente, ni se contenta con que a leanos en el libro, mas quiere con la voz, la exprimamos.] Ita ille, & nouissimè hanc sententiam docet Ludouicus de la Cruz in Bulla Cruc. disp. 1. c. 8. dub. 15. num. 6.

2. Sed mihi contraria sententia non minus probabilis videtur quam tenet doctus Egidius Trullench in Bulla Cruc. lib. 1. §. 6. dub. 2. num. 7. quia solum precipitur in Bulla, vt effundant ibi orationes: at nomen orationis propriissimè conuenit mentali, imò & precipue, nam oratio interna præferenda est, certioris paribus, vocali, quando hæc est voluntaria, seu non est in præcepto, quia, per se loquendo, & ordinariè, mentalis est magis fructuosa: nam multum illuminat animos in iis, quæ ad Deum & ad salutem pertinent, & præparat illos ad vincendas tentationes & pericula peccatorum vitanda. Secundò probatur, quia ad talem indulgentiam comparandam non præscribitur oratio publica, sed priuata: ergo poterit hæc ad libitum esse vocalis, vel mentalis. In hoc enim valde distinguitur oratio publica à priuata, quia hæc potest esse vocalis, & mentalis; publica verò, que talis ideo dicitur, quia fit ab Ecclesia per ministros suos, vt tales sunt, debet esse semper vocalis. Nec obstat fidelium vsus ad constitutionem Indulgentiæ huius preces vocales fundamentum, quia ex hoc solum inferri hæc preces esse sufficientes ad prædictam Indulgentiam lucrandam, quod est certum, non tamen necessarium. Ad argumenta verò Rodriguez satis respondet Trullench loco citato, n. 8.

RESOL. CXLIX.

An sufficiat ad lucrandas Indulgentias Bullæ Cruciatæ visitare ex vno loco quinque Altaria, sine motu corporali?

Et si sint in eodem populo quinque Ecclesie, an sufficiat visitare quinque Altaria in eadem Ecclesia, vel in diuersis?

Sed adhuc dubium superest, quando in aliquo populo tantum est vna Ecclesia, habens tria, vel quatuor Altaria, vtum debeat quis visitare omnia illa, &